

mittendo Filio commune sit toti Trinitati :) quia à solo Patre est : Ita Spiritus sanctus non à solo Patre , sed & à Filio mittitur , quia ab utroque est , per unum eundemq₃ æternæ Spira- tionis seu processonis actum.

57. III. Si Spiritus sanctus ideò nominatur Spiritus oris DEI Patris Psal. 33, 6. quia ut Spi- raculum sive flatus indissolubilis æterni Patris , ex ore Essentia eius inenarrabiliter procedit : Consequens est, eiusdem etiam Processionis respe- ctu Spiritum sanctum nominari Spiritum oris Christi. Esa. 11, 4. & 2. Thessal. 2. 8. Causa enim alia dari nequit.

At prius verum. Ergò & ratum posterius.

58. Cuius mysterij ceu symbolum quoddam est solennis illa ceremonia , quâ Christus Ioh. 20, 22. in sufflando in Apostolos Spiritum sanctum con- tulit : nimirum per egressum flatus corporei, haud inconvenienti ἀναλογία, probatum reddens , quòd Spiritus sanctus , qui mediante corporeo illo afflatu discipulis conferebatur , ex incorporeo quasi ore divinitatis Christi procedat.

59. IV. Vna est Patris Filijq₃ essentia , & uter- que τῆ τάξει sive ordine Spiritu sancto prior. Ergò prorsus est ἀδύνατον, ut ex Deitate sub- stantia Patris procedat Spiritus , ex substantia verò Filij non procedat. Alias enim foret conse- quens filium patri non esse ὁμοόσιον : & Essentia divina cõmitteretur distractio. Iani